

De cura rheumatismi : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet scriptor Conradus Dannenberg ; opponentibus F. Kuehne, G. Baltes, P. Frank.

Contributors

Dannenberg, Conrad, 1821-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Nietackianis, [1843]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c87dvtkr>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(18.) A J. 2018
D E
CURA RHEUMATISMI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

AD DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE GRA-
DUM A GRATIOSO ORDINE MEDICORUM IN
UNIVERSITATE FRIDERICA GUILIELMA
BEROLINENSI RITE OBTINENDUM

DIE XVI. M. MARTII A. MDCCCXLIII.

PUBLICICE DEFENDET SCRIPTOR

CONRADUS DANNENBERG

POMERANUS.


OPPONENTIBUS:

F. KUEHNE, MED. ET CHIR. DR.

G. BALTES, MED. ET CHIR. DR.

P. FRANK, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DISSERTATION

BY

AND DOCTOR OF PHILOSOPHY

BY

OF THE

OF THE

OPPORTUNITIES

OF THE

OF THE

P A T R I

OPTIMO, DILECTISSIMO

CAROL. GUILERM. DANNENBERG,

RERUM SACRARUM ANTISTITI,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE
STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR

PROLEGOMENA.

Quum' cujusvis morbi therapia magna ex parte ejus pathogenia nitatur, non alienum videtur, priusquam curam ipsam aggrediar, nonnulla de rheumatismi pathogenia disserere. Longius est, omnes enumerare conjecturas, quae inde ab Hippocrate, qui primus morbi rheumatici mentionem fecit, ad nostram aetatem usque extiterunt. Omnium auctorum primus Al. ab Humboldt rheumatismum subtiliter persecutus est, qui in »experimentis de fibris muscularibus et nerveis irritatis« insigne phaenomenon profert. Animadvertit enim, certis conditionibus hominum sex octove, continuam formantium seriem, actiones musculares electricitate adhibita non evenisse, priusquam unus eorum seriem reliquerit. Neque tales homines vi electrica imbuere ei contigit, quamquam eorum manus insuccaverat. Haec isolatio per homines in perspicaci subtilique Girtanner suspicionem movebat, affectionem rheumaticam talia phaenomena movere posse, et Humboldt confitetur, paene

omnia experimenta, quae postea instituerit, hanc suspicionem certiore reddidisse. Neque dissentit Val. ab Hildenbrand, quippe rheumatismum ex electricitatis atmosphaericae et animalis aequitate turbata originem ducere censet. Idem nuperrime Schoenlein statuit, cujus in verba et ego juro. Momentum praestantissimum est mutatio chemismi, indicata per praevalentem acidorum productionem, in quam et acre rheumaticum veterum quadrat. Aliud momentum praebent mutationes in cute. In rheumatismis enim universalibus, febrilibus, longius progressis, peculiaris in cute anomalia, quod attinet vim electricam animale, animadvertitur. Electrometra maxime sensibilia ne tantulum quidem reagunt, dummodo superficies corporis hominum sanorum continuo minus majusve electricitatis removet. Num cutis, ut Schoenlein existimat, loco conductoris isolator fiat, electricitatem retineat atque haecce causa sit dolorum et effusionis seri sanguinis, quae saepius in acutis rheumatismis in telam cellulosa evenit, nondum satis constat.

CURA.

Facile intelligitur, secundum innumerabiles de rheumatismi pathogenia conjecturas remedia quoque ad hunc morbum sanandum laudata infinita prope et innumera esse debere. Hae indicationes therapia sunt explendae:

1. **Indicatio prophylactica.** Quamvis nulla aetas nullaque constitutio humani corporis a rheumatismis immunis vivat, in certis tamen individuis major in

hunc morbum proclivitas animadvertitur; uti in cunctis sensibilibus, exhaustis, hystericis, qui teneram cutis compagem habent, ac vicissitudines atmosphaericas nimis scrupulose evitare student. Eminentem vero in rheumata dispositionem largitur morbus exantlatus, ac justo major in sudores proclivitas, qua posita particularis fovetur in percipiendis injuriis externis receptivitas. Remotiori itaque intuitu etiam cuncta illa disponere juvabunt momenta, quae transpirationem movent et copiosiores sudores eliciunt, uti labores strenui, cursus, abusus diaphoreticorum spirituosorum, cura mercurialis, regimen nimis calidum. Minus e contrario in rheumata inclinare videmus illos homines, qui catarrhosam diathesin fovent, quo quidem cutis siccitas atque nisus major membranarum mucosarum in reactiones morbosas plurimum conferre debet. Existunt demum quaedam dispositiones speciales, utpote in certas rheumatismi formas, quas imprimis morbus semel aut pluries exantlatus, atque epidemiae genius determinant. Quum vero praedispositio radicitus exstingui non possit, soli ejus diminutioni in indicatione causali sufficere licet. Quod quidem duplici conati sunt ratione: quarum alteram permanente cutis incitatione, qua simul rheumatismus propulsetur, alii persequi studuerunt. Haec methodus praecipue Britannorum paene propria est. Tota corporis superficies, una excepta facie, lana continuo irritatur atque simul lenis sudor elicitur. Quo facto cutis valde effeminatur, qua de causa nemini nisi fortasse diviti convenit. Ceteroquin ne his quidem prodest, quippe hac methodo praedispositio ita augetur, ut minima mutationis vestis neglectione vel frigidiusculo perflatu, quin

etiam frigidarum potionum usu vehementissimae affectiones moveantur. Modicus hujus methodi usus illis conducere potest, qui ei diligentissime et accuratissime sufficiunt. Alteram rationem sequuntur, qui callum quendam rheumatismi causis, imprimis celeri temperiei vicissitudini obducunt, frigore adhibito cutis compagem paulatim durantes. Hujus methodi clientes praecipue novissimis temporibus modum excesserunt, quum lotionibus frigidis, quibus praedispositionem radicitus quidem extinguere omnino non licet, corpus vere cruciaverint. Nunquam lotiones statim summum in modum adhibendae sunt, ut interdum animadvertere licet. Sed his potissimum caveant, qui antea alteram methodum secuti sunt. Calidioribus anni temporibus incipiantur lotiones cum aqua temperaturae graduum viginti ad viginti tres, post duos vel tres dies gradu uno vel dimidio temperatura imminuta usque ad aquae frigidae temperiem. In vulnerabili cutis compage ante lotiones, quas mane et vespere instituas, panno arido sebum cutaneum adhaerens detergere nos oportet; utilitati quoque esse potest, in aqua medicamina solvere, quae, quod acidum rheumatismus genuit, delent et simul cutem modice irritant: ut alcalina, sapones, prae ceteris saponem camphoratum Wetzleri, qui tamen saepe fortius irritat vel lene producit erythema, quod donec evanuit, saponis usum non permittit. Sudationum usus prophylacticus, quem medici hydropathici laudant, omnino obnoxius est, quum per plures menses adhibitus, continuo adhiberi debeat.

2. Indicatio morbi excretionem poscit materiae pathicae, praecautioem, ne nova producat, et

rationem habendam irritationis localis; qua ne obliviscaris, hanc facillime locum mutare.

Indicatio generalis. Plerique solam cutem primum organon rheumatum excretorium habent, quam ob rem etiam una diaphoretica justa atque necessaria putant. Hoc autem modo saepe perniciosae miliarium productiones efficiuntur, id quod aliis medicis causam praebuit, ut falso miliaria semper e cura oriri opinarentur. Utique imprimis in cutem, sed non in eam solam agendum est. In singulis casibus interest, utrum rheumatismus febrilis sit, an afebrilis.

A. Rheumatismus febrilis. Acerrima rheumatismi febrilis symptomata inflammatoria facile ad methodum antiphlogisticam strenuam adhibendam medicum seducunt, ad quam sedulo persequendam levamen, quod aegrotis post primas sanguinis detractiones tam universales quam locales affertur, invitare videtur. Neque dehortatur medicum error quidam, qui potissimum in praeseos primitiis occurrere solet, quum crustam phlogisticam et crustam sanguinis in hoc morbo e vena missi confundat, qua non evanida reddita, lanceolam non de manu dejiciendam esse arbitratur. Verum jam externa species et natura hanc sanguinis crustam, quae omnino diathesi rheumaticae propria est, ab illa phlogistica discernit. Sicuti tenue stratum sebi liquefacti et liquefacti refrigerati plana superficie haec crusta super placentam effusa est, celerrime formatur et cum cruore, ex quo serum tarde se excernit, latera vasis prompte explet; dum phlogistica solida paulatim contrahitur, excavationem marginibus reflexis instar agarici campestris

format, et quia serum celeriter a cruore se secernit, in modum insulae a margine vasis distat. Accedit, ut haec crusta venaesectione cerebro repetita tollatur, illa vero continuo persistat. Aliud discrimen in venaesectionis effectu apparet. In genuina inflammatione pro symptomatibus localibus etiam universalis collapsus deminuitur; in rheumatismo febrili virium defectio, quae post iteratas venaesectiones major et celerior apparet quam in inflammationibus, nihil in affectiones locales efficit, ita ut methodus antiphlogistica neque morbi decursum brevior, neque aliorum medicaminum usum supervacaneum atque inutilem reddat. Permultum interesse, ut in rheumatismo febrili curando febris character respiciatur, facile intelligitur. Characterem vero triplicem esse licet.

Febri erethica tantum medici est, vim naturae medicatricem lenibus diaphoreticis fovere. Saepius temperies aequabilis, tepor lecti, potiones diaphoreticae lenes sufficiunt. Addas licet ammonium aceticum, mixturas diaphoreticas cum ammonio muriatico, infusum florum sambuci vel florum tiliae. Quando complicatio cum catarrho adest, tartarum stibiatum refracta dosi impendas diaetamque convenientem praescribas.

Febris synochalis, praesertim quum membranae serosae et fibrosae affectae sunt, antiphlogosin exposcit. Dum genius inflammatorius viguit, ut annis 1812 — 19, methodus antiphlogistica in omnes rheumatismos febriles adhibita est. Attamen, ut jam supra dictum, tantum in hominibus robustis, plethoricis sanguis mittatur. Ubi vero organa interna inflammata sunt, et repetatur venaesectione, cujus effectum nitro et herba digitalis adau-

geas. Tali modo reactione sthenica in erethicam re-
ducta, pro natura morbi diaphoretica, diuretica aut pur-
gantia adhibeantur. In universum purgantia incommodo
sunt et tantum permittantur, ubi alvum leniter solvere
et obstructionem per sudores abundantes allatam tollere
nos oportet. Accedit methodus, quae saepenumero qui-
dem saluberrima est, sanguinis depletio una cum tartari
stibiati usu. Secundum Schoenlein praecipue rheu-
matismis articulorum comitante febris synochali convenit;
venaesectionem institui unciarum duodecim ad sedecim
et dum sanguis profluat, tartari stibiati granorum sex
ad octo, in aquae unciis sex solutorum, dimidium alte-
rum statim, alterum paulatim, pro dosi cochlear majus,
aegroto praebere jubet. Sequentes sudores largos theis
adjuves licet. Laennec, Recamier et Husson gra-
norum trium in aquae unciis sex solutorum bihorio co-
chlear majus dandum docent. Effectus quam maxime
prosperi fuisse dicuntur. Fere incredibilia sunt expe-
rimenta, quae secundo cum successu in custodia publica
Eboraci novi instituta sunt. Aegrotorum alius per dies
septem tartari stibiati grana ducenta quadraginta duo,
alius per dies novem grana trecenta quadraginta octo
sumsit. Horn in rheumatismis acutis sine febris emeti-
cum quotidie vel tertio quoque die praebuit, donec do-
lor evanuerat; ei omnium aliorum remedium optimum
erat. Corticem chinae primum in rheumatismis acutis
cum intermissionibus perspicuis et paroxysmis periodi-
cis Morton laudavit, hunc morbum febrem esse inter-
mittentem larvatam opinatus. Medici posteriores chinam
in omnes rheumatismos acutos usurparunt. Neque dis-
sentiunt Alphonse Leroy, Giannini et Haygarth.

Chomel hunc corticem propter vim roborantem atque excitantem in rheumatismo articulorum febrili contraindicatum esse putat, nisi magna debilitas vel periodica dolorum intermissio ejus usum exostulet. Brocklesby in rheumatismis acutissimis kali nitricum maximi ponderis esse contendit, cujus drachmas octo ad decem, in magna potionum mucilaginosarum quantitate solutas, intra horas viginti quatuor aegrotantibus dat, quo fieri soleat, ut nonnullis diebus post eminent lenimen eveniat. Neque inepta mihi videtur ratio Vogelii, qui in exacerbationibus kali nitrici drachmam unam ad unam et dimidiam cum melle atque sero lactis per clysterem immittit.

Si febris torpida est, semper vehemens adest reactio: pulsus celer, centum viginti ad triginta ictus per horae sexagesimam partem perficiens, sed statim ab initio parvus, debilis et facilis compressu. Cetera symptomata inter se differunt, ita ut duas formas torpidas discernere possimus: in quarum altera rariore aegroti dolore articulorum acerbissimo vexantur, qui aut non intumescunt, aut paululum tantum, et tum rubor pallidus, roseus, maculatus apparet. Haec affectio localis celerrime ab alio ad alium articulum transfugit cum magna irritatione, vehementi dolore, sed nulla in articulis reactione vasorum conveniente; cutis sicca est, corrugata, ardens. Post duos dies status, quem vocant nervosum, incipit: lingua, initio tantum sub vesperem, sicca est; accedit capitis gravedo, agrypnia, ipsa deliria. In hac forma omnia remedia interna, quippe quibus sudorem moveas, inutilia sunt. Solae superfusiones aquae frigidae super tergum, pectus ac praecipue articulos

salutem afferre possunt; postea aegroti pannis laneis detergeantur et statim cubitum eant; interne infusum valerianae et alia diaphoretica dentur. Quibus peractis reactio localis et tumescentia articularum ingruere solent, neque desunt pulsus quietus, sudores. Plerumque autem symptomata priora mox adsunt, tum superfusiones repetantur, quoad symptomata inde capta permanent. Cutis secretio persistens, affectio localis fixa, ad inflammationem usque aucta, hirudinum applicationem requirunt; praeterea solius rheumatismi febrilis indicationes explendae sunt. Altera forma saepius invenitur, quam prima; cutis magis ad copiosam secretionem inclinat, sudor instar aceti mucidi olet, accedunt symptomata, quae miliarium eruptionem pronuntiant: pulsus parvus, celer, facilis compressu; pectoris angustiae, magnus angor, palpitationes cordis. Haec forma interdum epidemica est et multos per annos, interjectis intervallis per anni tempora allatis, grassari potest. Epidemiae potissimum autumno et vere ingruunt, saepe et imprimis, si formam febrium sudorariarum anglicarum (varietatis sine exanthemate) induunt, atrocissimae, sed plerumque angustis finibus circumscriptae esse, nec diu grassari solent. Eas autem etiam per amplam regionem effundi et per tempus longum inhaerere posse, etiamsi sudoris anglici immemores simus, satis superque probaverunt epidemiae annorum 1718 ad 1723, 1735 et 1821 in Picardia et provinciis vicinis, 1728 et 1742 in Pedemontio et Sabaudia, 1781 ad 1782 in Occitania superiore, 1812 ad Rhenum fluvium. Tales epidemiae et imprimis miliaria nonnullis in locis, e. g. in Franconia, Wurtembergia, Alsatia, Pedemontio, Longobardia, Picardia etc. multo

crebriora sunt quam in aliis, fere endemica, et interdum fines, quibus inclusam epidemiam perspicimus, angusti apparent: ut in Franconia morbus eo rarior est, quo remotior a valle Moeni fluminis; in Alsatia citra Vogesos creber, trans illos rarissimus esse dicitur. Indicatio causalis multifarie hic adest. Medici esse potest, regionem, in qua miliaria resident endemica, quam maxime hoc malo liberare; ubi, si constitutio atmosphaerica miliarium productionem fovet, in morbis rheumaticis praesertim febrilibus curandis id cavendum erit, ut miliaria iis associantur. Quae si epidemica exorta sunt, homines sanos maxime tuere, eoque modo huic pesti fines ponas. Quod si est causa contagii suspicandi, etiam in hoc remedia impendenda sunt. Primo operi difficile sufficere possumus, propterea quod non omnes conditiones novimus, quae miliaria quibusdam locis endemica efficiant, et plures earum remove non possumus. Soli miasmatum sedi, quae interdum magni momenti est, obstruere possumus. Quam ob rem paludum exsiccatio, remotio aquae, in quam lini virgae merguntur, a vicis, viarum et cloacarum purgatio commendandae sunt et cavendum, ne lutum, nimia ligni combustio, aër stagnans et fortasse aceti paratione adhuc vitiatus etc., in domiciliis adsint. Ut miliarium ex aliis rheumatismis genesis impediatur, aegroti nimis calescere non debent, praeterea diaphoretica imprimis fortiora vitentur. In curatione rheumatismi colchico, tartaro stibiato etc. raro miliaria symptomata inveniuntur, quamquam nulla cura plane ab iis tueri potest. Si epidemiae hujus morbi grassantur, sani et hi potissimum, qui aetate juvenili et cute tenera magis ad illum praedispositi sunt, omnes evitare

debent injurias, quae alias simplices rheumatismos effi-
cere solent, velut perflatus, aër frigidus etc. Si vero
contagium suspicaris, integri, quantum fieri potest, ae-
grotorum aditum atque sermonem fugere debent. Ad
diruendum aëri vel vestimentis vel aliis corporibus ad-
haerens contagium plus fortasse fumigationes ammonia-
cae prosunt quam chloricae; sin vero in hominem con-
tagium translatum esse suspicaris, emeticum forsitan
maxime idoneum sit ad illud, antequam radices egerit,
e corpore removendum. Indicationes morbi secundum
stadia et alia momenta variant. In stadio prodromo-
rum omnia diaphoretica antea forsitan adhibita mittan-
tur; temperies sit aequalis, graduum duodecim ad quin-
decim; aegroti leviter obtegantur, non culcitae plumeae,
sed potius stragulis incumbant. Ad eruptionem milia-
rium evitandam interna te dare oportet remedia, quae
praecipue in intestina et renes vim exercent et simul
cutis secretionem cohibent: potiones refrigerantes, quae
intestini et renum secretionem fovent, uti serum lactis
citratum aut acetosum, aqua cum succo citri aut rubi
idaei mixta, acidum Halleri, temperatura graduum
quatuordecim ad quindecim. Alvus optime infuso sen-
nae cum salibus mediis solvitur, ita ut quinquies aut
sexies faeces pulti similes moveantur; postridie magis
renes infuso digitalis cum acido sulphurico, acido phos-
phorico excitandi sunt. Vulgo interea intestini secretio
sustinetur, ita ut duae tresve consequantur sedes lar-
giores; quo non facto clysmata irritantia e natro mu-
riatico administranda sunt. Neque vero quidquam plus
adducit detrimenti, quam trita illa opinio, miliaria re-
mediis calefacientibus, velut vino, vestimentis calidis etc.

esse fovenda, ut venenum ex corpore dispareat. Quodsi aut miliarium eruptio nequaquam retineri potest, aut medicus hac jam incepta in auxilium vocatur, figenda eruptio, quippe quae ad interiores partes recedens multum periculi secum ferat, atque exanthematis nova formatio, assultim saepius repetita prohibenda est. Quae eadem indicatio toto efflorescentiae stadio atque in omnibus novis eruptionibus summi momenti est, praecipue propter magnam miliarium fugacitatem. Remedia interna, diaphoretica, hunc in finem impensa, nihil habent utilitatis, sicut experientia edocti sumus; saepius vero fieri solet, ut cutem secreto pathico nimis impletam reddant, quam quidem rem subitus saepissime eruptionis collapsus sequitur, nulla aperta causa intercedente; epispastica autem efficaciam habent non satis constantem ac firmam. Aptissimum ad hunc finem remedium lotiones sunt kalicae, ab Ill. Schoenlein commendatae ac laetissimo successu stipatae, quae in cutem vim exercent tum irritantem tum chemicam, acidam in illo depositam materiam delentem. Schoenlein hanc ob rem chemiater objurgatur, neque vero, uti contenditur, miliarium indolem in acido sitam arbitratur, sed non nisi acidae indolis symptomatis, secreti pathici, exanthematis respectum habet, ad quod figendum usurpat remedium satis magnae efficaciae tam chemicae quam dynamicae, atque experientia satis superque comprobatum. Ad lotiones instituendas in usum vocandae sunt solutiones basicae e kali carbonico aut kali caustico aut cineribus paratae. Gradum saturationis justum esse lotionesque repetendas sensu cognoscitur lenis formationis inter lavandum ad ardorem quendam progredien-

tis, quem color cutis subroseus insequitur; apud inopes lixivio saponato diluto uti licet. Num iterandae sint lotiones, pendet ex affectionis intensitate atque illarum effectu, quibus cutis temperies temperetur ac sudor coërceatur oportet. Quodsi cutis secretio copiosior fit, doloribus pungentibus denuo sensis, lotiones sunt repetendae. Aegroti ipsi optime id temporis momentum indicant, qua in re rectissime sentire solent. Lotionum temperies tepida sit ($25 - 30^{\circ}\text{R.}$), sed et haec ad aegrotorum sensum atque instinctum accommodanda. Miliarium eruptione jam aliquamdiu exorta, aegroti in temperiei vicissitudines tam facile reagunt, ut jam brachium e lecto erectum frigoris sensum in iis commoveat. Quam eandem ob causam lotiones ejusdem temperiei sint oportet, in qua aegroti cubant; decrescente sensim sensimque cutis sensibilitate, usque ad gradus viginti unum descendatur neque vero unquam ultra; sudoribus dein minutis, cute furgente atque odorem specificum amittente, exanthemate fixo citiusque exsiccante, quod saepenumero jam viginti quatuor octove horis post fieri solet simul exoriente desquamatione, remedium sat bonos habuit fructus. Una cum primario hoc remedio methodus derivans, de qua jam supra locutus sum, admittenda est, nec vero ita fortis, quod imprimis de derivatione ad intestina valet, ne nova oriantur exanthemata. Accedit adhuc indicatio symptomata, quod attinet vehementia organorum respiratoriorum symptomata, quae eruptioni et praecedunt et intercurrunt. Saepissime symptomata illa, quae supra jam commemoravi, prava quadam ratione ex affectione pectoris inflamma-

toria prodire iudicata, ideoque venaesectionibus, quas perniciosissimi semper sequebantur exitus, impugnata sunt. In ipsa enim venaesectione subito cutis collabi et exanthema letali cum eventu regredi solet. Apparatus respiratorii symptomata nervosa esse natura apparet, quum periodico typo tum rapiditate et eruptionis et cessationis. Neque physica exploratione ulla inflammationis symptomata cernuntur, quamvis interdum, sed rarius, inflammationem cum miliarium eruptione conjunctam existere posse non plane negaverim: quae ubi cordis pulmonumque inflammatorum objectiva symptomata exploratione capiuntur, ibi quidem venaesectio, sed summa cum cautione instituenda est. Optime hic fortia cutis incitamenta, fortiores sinapismi, aut in scrobiculo cordis aut in regione gastrica aut in nervi pneumogastrici radiis aut in humero aut in dorso imposita, parvis dosibus internis florum benzoës (gr. jj . ad jjj) et camphorae (gr. $\frac{1}{4}$ ad $\frac{1}{2}$) adjuncta valere. Nonnulli medici majores camphorae doses, drachmam dimidiam ad unam pro die, ingerendas esse contenderunt. Dupasquier, ut exemplum afferam, camphoram et a ventriculo et imprimis in vapores transactam ad pertinacissimos rheumatismos devincendos aptissimam expertus est. Ad quam medicamenti applicandi rationem exsequendam aegrotus aut in arcam fumariam infertur aut tunica lanea ei induitur, quo facto quinque minutis camphorae drachma incandentem laminam ferream, ubi statim evaporatur, fundenda est. Temporis spatium, per quod aegrotus fumigationibus circumdatur, sensim sensimque aucto, ille postremo per totam horam fumigationibus expositus esse

debet, quibus peractis aeger celeriter in lectum redigatur. Dr. Mitchell, nosocomii Pensylvaniensis medicus, rheumatismum saepissime ex irritatione medullae spinalis prodire arbitratus, cucurbitulas, sinapismos, alia medicamina rubefacientia in eum medullae locum, ex quo nervi partis aegrotantis orientur, imponi jubet; qua ratione e numero triginta quinque aegrotorum per unam septimanam viginti duos se in integrum restituisse pronuntiat.

B. Rheumatismus afebrilis. Hac in rheumatismi specie crisia, quae desiderantur, adducendarum indicatio data est, i. e. artificialis quasi febris irritandae. Quo consilio duabus usi sunt medici rationibus, altera quae a ventriculo systema vasculosum incitando, diaphoresin indirecta via agat, altera quae externis remediis cutem ipsam via recta aggrediatur. Quo factum est, ut primae methodi medicamina, quamvis ab usitatis diaphoreticis minime differentia, antirheumatica nominata sint, quorum in numero habentur omnes infusiones aromaticae, radix valerianae, flores sambuci, radix serpentariae etc., neque non antimonii praeparata. Antimonium oxydatum, quod persaepe saluti fuit, id detrimenti praebet, ut interdum, sicut tartarus stibiatus, vomitum atque diarrhoeam afferat; praeterea imprimis sulphur aurat., kermes mineral. laudata sunt. Accedunt insuper praeparata sulphuris, flores sulphuris, alcohol sulphuris; sales ammoniaci, quum ammonium aceticum, muriaticum, succinicum, tum carbonicum. Distinguenda ab hisce diaphoreticis internis altera medicamentorum classis, directa via efficacium, cutis secretionem pellentium. Du-

ces ingrediuntur balnea, sudatoria et russica, quae insequuntur ex sola aqua parata aut acribus cum medicamentis mixta, herbis aromaticis, sapone, sulphure, calcaria sulphurata impraegnata. Sagacissime in balneorum usu cutis conditio consideretur, quum composita balnea iis, qui ad majorem sudoris secretionem dispositi sint, noceant, his vero, qui rigidiore cute laborent, optime conveniant. Sequitur magna fontium soteriorum turba, e quibus suum cuique aptissimum eligere non minimae est difficultatis; in decernendis balneis haecce observanda sunt momenta. Priusquam balnei usus praescribatur, aegrotus, ut eventus cernatur, in balnea naturalibus arte similia reddita, per quatuordecim circa dies, in domicilio suo mittatur, quod optime Aprili aut Majo mense ineunte fit. Inter aquas medicatas aptissimae sunt rheumatismo curando thermae alcalinae, alcalo-salinae et aliae, quarum analysin nondum novimus, Gastein et Wildbad Wurtembergensium dico. His potissimum hominibus, quorum cutis rigidissima, dura a colliquativa secretionem omnino abhorret, thermae conveniunt, minime vero cuti tenerae, gracili, vulnerabili, in transpirationem facile commotae. In ipsis autem conditionibus, quibus thermae indicantur, magnum sistendum est singularum thermarum discrimen. Thermae salinae, fontes Mattiaci, Bada Badensis, Bada Aargauensis maximam vim medicatricem in affectionibus articulo-rum rheumaticis iisque, quae ne in podagram genuinam transeant timendae, probavere; adjuvat etiam potus fontium salinorum, resolventium, fons Elisabethanus Homburgensis, Ragozi, fons crucis Marienbadensis cum iis

conjunctus. Altera thermarum turba, principe fonte Teplicio, melius rheumaticis musculorum nervorumque affectionibus hominum maxime sensibilium, irritabilium, debilitati quam dicunt irritabilem convenit. In morbis autem abdominalibus jam perfectis, atque ubi rheumatismus in podagram se transiturum minatur, noxius harum thermarum usum sequitur effectus. Tertiae thermarum classi et inter eas Gastein et Wildbad Wurtembergensium effectus est, quem ex chemica aquarum compositione deducere nemini adhuc contigit; quo factum est, ut ii, qui fontes minerales non chemicis legibus, sed dynamica vi in organismum agere arbitrentur, illos praecipue duos fontes theoriae suae testimonia constituerent. Alii aquam alio modo quam ceteras, quod spectat ad hydrogenium et oxygenium, compositam esse censuere, alii ei aliam tribuere radiorum lucis refractionem etc. etc. Theophrastus Paracelsus eam per aurum fluere dicit, ex quo efficacia oriatur. Rheumatibus, quae ad nervorum motoriorum paralysin tendunt, praecipue si simul turgescencia cutis deminuta est, illae thermae saepius mirum in modum medentur, neque aliae existunt aquae, quas cum iisdem conferre liceat. Quartum fontium genus aquas complectitur sulphuratas, praecipue thermas sulphuratas, quae gase maxime hydrothionico in cutem efficacissimae eoque salubres sunt. Jam artificialia balnea hydrothionica, hepate sulphuris parata, magnam praebent efficaciam; hominibus, quibus omnino thermas permittere non possumus, etiam thermae sulphuratae non conveniunt; sed iis, qui cutem habent rigidam, qui jam antea metallis usi sunt, ut hy-

drargyro muriatico corrosivo, antimonio, thermae sulphuratae maximae saluti sunt, quibus aquas sulphuratas frigidas anteponeere minime licet. Omnium aquarum saluberrima est Aquisgranum, frigidarum Nenndorf et Eilsen. Thermarum usui una cum aquis mineralibus bibendis, quae alvum solvunt, opposita sunt balnea frigida, quae praecipue duplici modo adhibentur, quum balnea marina tum secundum methodum Priesnitzianam. Balnea marina magna laude digna sunt in rheumatismis nervosis, minore in rheumatismo articulorum; praesertim vero hominibus, qui cutem teneram eamque facile secernentem habent, praecipue feminis sensibilibus, nervorum systemate facillime commutabili praeditis, nec minus ubi affectiones rheumaticae cum scrophulosi junctae sunt, balnea marina summae sunt utilitati. Methodus Priesnitziana in permultis affectionibus, maxime in certis rheumatismi afebrilis speciebus, excellentissime prodest, minime vero, ut plurimi hujus methodi clientes contendunt, in omnibus affectionibus rheumaticis. Individuis, ubi simplicis rheumatismi transitus in affectiones podagricas, vita sedentaria, alimentis opulentibus, systema abdominale incitantibus, effectus indicatur, jam leges in cibo potuque sumendo strenuae, quas Priesnitz praescribit, egregie conducunt, quibus accedit evacuatio larga per omnia corporis colatoria, per renes, intestinum, cutem, in qua interdum eruptiones exanthematicae animadvertuntur. Tum hac methodo curandi sunt homines cute et systemate nervoso maxime alienatis, praecipue feminae, in quibus ex minimis injuriis morbus rheumaticus originem ducit; individuis vero, in quibus rheu-

matismus articulorum et arthritis crevit, haec aqua curandi methodus minime convenit. Hic non omittam methodum, quam Cadet de Vaux, Cloquet et Giraud in dyscrasiam rheumaticam proposuerunt: aegrotum quidem aquae fervidae, quam ferventem pati possit, quotidie viginti ad triginta pocula bibere volunt, quo facto status quidam febrilis apparet. Hoc remedium facillime periculum vitae affert, quare diligentissime ponderandum est; apoplexiam, haemorrhagias letales, maximam virium exinanitionem effectas esse exempla saepius ostenderunt. Monitus maxima consideratione dignos de hac methodo affert Krueger.

Indicatio specialis. Hac in indicatione ad locum, extensionem et tempus, per quod morbus decurrit, respiciendum est. In universum remedia indicata sunt irritationem mitigantia, sedativa tam externa quam interna. Rheumatismo musculorum aut nervorum recenti plerumque sufficiunt sedativa lenissima, e. g. infrictiones oleorum calidorum, adipis, ut olei hyoscyami cocti. Rheumatismus non ita recens, vel ab ipso initio magis intensus efficaciora petit remedia: incitamenta externa, infrictiones unguenti volatilis cum opio vel sinapismi et emplastra vesicatoria; in rheumatismo inveterato haec quoque remedia non sufficiunt: acupunctura indigemus, ferro candente, moxas, praecipue in rheumatismis nervosis, ubi singuli nervorum rami motorii et sensitivi affecti sunt. Jam ex multis saeculis acupunctura in Japonia, China et India orientali usi sunt. Acum torquendo in qualemcunque altitudinem immissam per duodecimam decimamve horae partem remanere Churchill praec-

scribit; plures acus simul immissae non majorem effectum quam una habent. Dolore per hoc experimentum fugato, quod signum praebet prosperum, acuum immisio in hunc locum, in quem dolores fugati sunt, semper maxime secundum habet eventum. In rheumatismum articulorum haecce remedia non quadrant. Affectioni modicae infrictiones opponas oleosas, cutem cures obducendam lana pingui, xyliño, quibus potissimum quominus morbus se vertat impedies. Affectiones locales, ad inflammationem usque auctae, methodi antiphlogisticae strenuae auxilium exposcunt, imprimis affectis articulis juxta organa jacentibus, quibus pressis periculum vitae imminet, e. g. vertebrae colli. Ibi priusquam inflammatio exorta est, cito antiphlogosis adhibenda, ubi illa jam adest, methodus antiphlogistica quam maxime extense atque celerrime in usum vocanda, repetita hirudinum appositio, infrictiones unguenti cinerei, fomentationes sedativae, cataplasmata e farina seminum lini cum herba hyoscyami, herba cicutae aliisque narcoticis; simul remedia sedativa interna, opii praeparata adhibentur, ut et sudores eliciant et dolores sedent, et reapse nihil somno magis transpirationem fovet; quibusdam in morbis cutis tantummodo in somno madescit, dum in vigiliis semper est sicca. Attamen motus fortuito in somno accedentes in acuto articulorum rheumatismo laborantibus tam acutos afferunt dolores, ut ab opii usu abstinere mox coacti simus. Quam ob rem Sydenham, Cullen, van Swieten et alii ejus usum in acutis articulorum rheumatibus prorsus rejiciunt. Barthez autem opium simul cum camphora in morbis

longius progressis rheumaticis cum successu prospero dedisse se affirmat. Intensitate febris fracta, vel acuto rheumatismo jam ab initio afebrili, narcotica, ut hyoscyamum, belladonnam et praecipue opium medicis cautis, providis, peritis adhibere licet, sed quocunque tempore illud grave Wedelii in opiologia dictum cordi sit: »Sacra vitae anchora est opium bene et circumspecte agentibus, cymba autem Charontis in manu imperiti et ceu gladius in manu furiosi. Cavendum ergo, ne ναρκωτικά fiant νερρωτικά.« Multo efficaciora laudantur narcotico-acria, cicuta, qua melius aconitum atque veratrinum nuperrime probatum, sed maxime colchicum, quod aequo modo ac veratrinum tam in nervos vim exercet, quam praecipue urinam atque faeces movet. Colchicum jam prius administratum ad magnum bellum bellandum causam dedit. Medici anglici, qui illud primum in usum vocabant, imprimis vim drasticam laudabant, quam dosibus magnis consequantur; medici alii vim diureticam longe maximi momenti esse contenderunt; utraque autem vis conjuncta, princeps tamen est ea, quae alvum solvit. Si excretiones alvi colliquativae fiunt, colchicum nocet; potius sedes, duae vel tres quotidie, sint pulti similes; quibus si sunt mucosae aut aquosae, cum doloribus colicis conjunctae, vel quando suppressa est cutis secretio, colchico intermisso, remedia mucosa, opium quoque opponantur, quae medicamina ab ipso initio, praecipue in proclivitate ad diarrhoeam, colchico addere licet. In praedispositione ad diarrhoeam omnino aconitum praefendum est. Saepius ex narcotico-acrium usu inoptata oriuntur symptomata, turbationes

cerebri; primum aegroti de doloribus capitis queruntur, gravedinem in capite sentiunt; pupilla dilatata est, functiones visus laesae. Serius et in quibusdam hominibus symptomata progredi solent: in summo gradu mania sequitur cum deliriis continuis. Ubi primordia hujus affectionis, dolores capitis etc. apparent, narcotica intermittenda sunt; fomenta acetosa capiti imponas, aegroti acetum odorentur, interne detur ammonium aceticum, kali aceticum etc. Mania exorta non summum affert periculum, quum diebus tribus quatuorve post plerumque eidem curationi cedat, cui, si vehementes congestiones comparent, locales sanguinis detractiones addas licet. Bouillaud sanguinis detractiones remedium in acutum articulorum rheumatismum specificum habet. Jam Sydenham universalibus sanguinis missionibus usus est: primo die decem sanguinis uncias deplet, altero totidem; tertio vero plerumque detractiones intermittuntur, quas quarto die repeti jubet. Post tres vel quatuor dies, vires, aetatem, constitutionem respiciens, de novo venaesectionem facit; raro plus quam quatuor instituit venaesectiones. Attamen hanc methodum persequens felix non erat, quocirca eam reliquit. Bouillaud universalis et localis iterum iterumque instituendae sanguinis detractionis hancce proposuit methodum: primo die venaesectio vasculorum quatuor; secundo duae venaesectiones unciarum decem ad duodecim, simul locales sanguinis missiones hirudinibus, aut quas Bouillaud praefert cucurbitulis circa articulos maxime affectos et, si cor in consensum tractum est, regioni epigastricae imponendis, tertio die venaesectio una cum cucurbitula-

rum usu; quarto febris, dolores, tumor, symptomata febrilia cedere solent; sin minus, venaesectiones eodem modo repetuntur. Quibus etiam indigemus, ubi febris rheumatica adhuc inhaeret, aut morbi vis redit. Praeter sanguinis depletiones idem autor his utitur remediis: diaeta, potionibus diluentibus, vesicatoriis, articulorum compressione, linteo compresso unguento cinereo peruncto, cataplasmatibus emollientibus, balneis, opio tum interne tum methodo endermatica. Praeterea quaedam salia metallica commendata sunt, uti hydrargyrum muriaticum corrosivum, kali arsenicosum, ferri praeparata, imprimis in prosopalgia rheumatica, in qua magna laude gaudet ferrum oxydatum fuscum; idem si inflammatio non adest, probat Hutchinson, qui prosopalgiam ducenties animadvertisse se affirmat; cavendum autem, ne dosis nimis parva sit, aut nimis raro detur remedium.

Indicatio exituum. Morbo quidem in convalescentiam abeunte, duae tamen praecipue res spectandae sunt. Primum vis morbi facile redit, praesertim quum cura imprimis cutis secretio valde adaucta eoque irritata est, ita ut, si e. g., ut hoc utar, aegroti mala tempestate e conclavi egrediantur, statim morbus recidivus fiat. Tum saepenumero irritatio localis tollitur, morbus autem quasi latens adhuc inhaeret, quod frequentissime in articulorum rheumatismo animadvertere licet. Ad vesperum vasorum irritatio exoritur, quae etiam qualicumque motu efficitur; noctu cutis largos sudores acido suo odore secernit, urina sedimenta movet acidamque ostendit reactionem. Quamdiu haec symptomata adsunt, indicatio morbi spectanda est; si quid residet, singula-

ris cura adhibenda est. In rheumaticis, ut ita dicam, contractionibus, paresi, quae paulatim ad paralytin augescere potest, primum quidem thermae aut gas sulphuratum artificiale, vel etiam vapor aquosus cum hepate sulphuris impraegnatus multum salutis afferunt. Deinde medicamenta acria, spiritus serpylli, linimentum phosphoratum, unguentum ammoniatum cum tinctura cantharidum etc. impendantur. Quibus remediis non efficacibus methodus endermatica in usum vocanda est, in quam praecipue strychninum quadrat, primum parva dosi, ad grani quadrantem, paulatim dosi adaucta, ita ut propriae contractiones et convulsiones musculorum instar ictuum electricorum oboriantur. Quibus signis exortis dosis efficiens aegrotis offertur, donec effectus cessant, quo facto strychninum optime per septimanam intermittitur, qua elapsa eadem illa dosis administratur. Paralytin rheumaticam valde dolorificam, qua antibrachium semiflexum et pronatum reddebatur, pilulis ex extracto nucis vomicae spirituoso sese curasse *Mauricet* contendit, hora matutina et vespertina pro dosi grano dimidio porrecto. Motus primum involuntarii tantum cum convulsionibus dolentibus evenerunt; sed magis magisque ad voluntatem aptabantur; dosin ad grana duo augendo post tres septimanas aeger sanatus erat. *Gidhella* complures incisiones in partes circum articulum affectum sitas fieri voluit simulque prospere evenisse operationem asserit. Postremo vim electricam non inutilem esse dicunt; aegrotus in isolatorium infertur, cum conductore electrico copulatur, scintillaeque ex partibus affectis eliciuntur. Majorem autem efficaciam electro-

magnetismus habere fertur, attamen hoc remedium ex experientia non satis constat. Post rheumatismum articuloꝝ praecipue duo morbi residere solent, qui singularem exostulant curam: hydrops articuloꝝ, qui oriens saepenumero inflammatorius esse solet, quapropter antiphlogosis auxilio vocanda est: repetita hirudinum applicatio, infrictiones unguenti cinerei cum unguento aut extracto digitalis; neque jodum vel kali jodatum addere ineptum videtur. Simul in renes agatur infuso digitalis cum kali acetico vel ammonio acetico. Sin autem symptomata inflammatoria sublata sunt, resorbentia applicentur: infrictiones olei juniperi aetheri, olei terebinthinae. Artus involvas lana arida, stuppa, lana ovilla, quas mastiche, succino aliisque vaporibus suffire licet. Irritatione redeunte antiphlogosis iteretur. Nodos arthriticos, qui in articulis et circum eos deponuntur, si molliores sunt, fortasse resolvi posse sperare licet, quae spes tollitur, si nodi jam duritiem eburneam ostendunt. Resorbentia inutilia sunt; initio praesertim thermae resolventes prosunt, vapores thermales aquarum Mattiacarum, Badae Badensis, Badae helveticae, Aquisgrani in articulos adhibendi. Artificiales quoque vapores, vapores aquosi aut simplices aut cum hepate sulphuris impraegnati laudantur; praeterea inunctiones resolventes unguenti cinerei puri, aut cum hydrargyro jodato, oleo juniperi, oleo terebinthinae etc. Una cum his purgantia et diuretica, aquae medicatae natrum continentis, Selters, fons crucis Marienbadensis, quippe quas aegroti bibant, offerantur. Recentissimis temporibus methodus excellit, quae ipsos nodos arthri-

ticos resolvere queat, incurtio fluidi galvanici; quae methodus, quamquam jam prius adhibebatur, tamen nunquam prospere cesserat. Croussel, medicus finnicus, nuperrime Petropoli experimenta instituit, quae exitum gratum exoptatumque habuerunt. Ille enim axi cupreo columnae a Volta constructae resolvendi, axi zinci condensandi vim attribuit. Nodus armatus cum axi cupreo per horae quadrantem copulatur, quo fit, ut nodus arthriticus emolliatur et resolvatur. Cavendum autem, ne inflammatio oriatur, quae quamdiu perstat, remedii usum interdicat.

V I T A.

Conradus Fridericus Lebrechtus Dannenberg anno hujus saeculi undevicesimo pridie Calendas Aprilis Wildenbruchii, vico Pomeraniae, patre Carolo Guilelmo, verbi divini magistro, matre Carolina e gente Taege, quos D. O. M. mihi per longam annorum seriem salvos conservet, genitus sum. Confessionem profiteor evangelicam. In schola Gollnoviana publica primitias litterarum adeptus, Sedinum me contuli, ubi gymnasium Directore Cel. Hasselbach per annos sex frequentavi. Maturitatis testimonio munitus, anno MDCCCXXXVIII inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum, ubi per quadriennum audi:

Cel. Wolff sen. de hodegetice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, de medicinae historia; Cel. Beneke de logice; Ill. Mitscherlich de chemia tam organica quam anorganica; Ill. Link de botanice, historia naturali, toxicologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et anatomia organorum sensuum; Ill. Mueller de anatomia universali, de physiologia, de anatomia pathologica; quo eodem una cum Ill. Schlemm duce cadaveribus rite secandis operam dedi; Cel. Eck de physiologia, de pathologia et therapia generali; Beat. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo;

Ill. Horn de morbis syphiliticis; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Kluge de arte fascias chirurgicas rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia et de akiurgia; Cel. Froriep de akiurgia.

Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, medico-forensibus interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Beat. Osann, Wolff jun., Schoenlein, Dieffenbach, Juengken, Kluge, Wagner.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. Omne rheuma ex refrigerio.
 2. In manum medici non datur venenum.
 3. Febres essentielles non existunt.
 4. In contracturis tenotomia ad perfectam sanationem haud sufficit.
-